

datae. Pistilla 5, aequilonga, sibi appressa, quorum fertile imâ crassius magisque villosum, reliqua graciliora ad stylos reducta. Drupa magnitudine *Vaccinii myrtilli*, nonnihil compressa, in vertice rudimento styli mucronulata. — In sylvis humilioribus Archipelagi indici.

$\beta$  *Var. obovata*: foliis saepius obovatis et apice rotundatis. — In maritimis Javac.

**418. *Buchanania longifolia* SPAN.:** ramulis teretibus ad apices sericeo-puberulis; foliis lanceolato-oblongis obtuse acuminatis v. obtusis v. interdum rotundatis basi in petiolum angustatis coriaceis glabris; paniculis ramosis puberulis. SPAN. in *Linnaea* XV. p. 188. — Arbor habitu *Mangiferarum*; foliis sparsis, 6—10 poll. longis,  $1\frac{1}{2}$ — $2\frac{1}{2}$  poll. latis, v. interdum minoribus, margine subundulatis, petiolo 8—13 lin. longo, semitereti, dorso ad basin incrassato. Paniculae axillares et ad apices ramorum confertae, effusae, folia longitudine fere adaequant. Flores in ramis subcymosi. — In montanis insulae Timor et in regionibus litoralibus insulae Celebes.

**419. *Buchanania insignis* BL.:** ramulis subangulatis ad apices tomentosis; foliis lanceolato-oblongis utrinque acuminatis rarissime apice obtusis v. retusis coriaceis subtus ad nervum medium puberulis; paniculis ramosissimis subtomentosis. — Arbor pulchra; ramulis crassis, subangulatis, ad apices cum foliis inexplicatis tomento ochraceo denso vestitis. Folia in summitate ramulorum approximata, semi- et ultrapedalia,  $1\frac{1}{2}$ — $3\frac{1}{2}$  poll. lata, undulata, rigida, supra glabra, subtus in nervo medio rotundato-extuberante venisque lateralibus parce puberula. Paniculae ex foliorum superiorum axillis, erectae, longe pedunculatae, effusae, ramosissimae, in rhachi communi et ramificationibus per anthesin tomento tandem deliquescente obtectae. — In sylvis insulae Borneo.

**420. *Buchanania lucida* BL.:** ramulis subangulatis ad apicem pube vix conspicuâ scabridis; foliis lanceolatis v. ellipticis v. cuneato-oblongis apice saepius obtusis v. rotundatis raro obtuse acuminatis coriaceis glabris; paniculis ramosis laxifloris glabris. — *B. angustifoliae* ROXB., quae mihi ex Herbario V. Cl. WALLICH in manibus est, proxima, sed paniculis magis effusis floribusque multo longius pedicellatis, qui in illâ subglomerulati, sicut texturâ foliorum coriaceâ a *B. intermediâ* WIGHT diversa. Arbuscula 12—15 ped. altitudine. Folia petiolis  $\frac{1}{2}$ —1 poll. semiteretibus v. subtrigonis supra appianatis dorso striatis instructa, 3—5 poll. longa, 1—2 poll. lata, ad apicem plerumque obtusa v. rotundata rarissime obtusiuscule acuminata, basi in petiolum angustata, coriacea, firma, utrinque lucida, siccata pallide fusca v. imprimis in paginâ dorsali cum rhachibus paniculae in colorem rufescentem vergentia. Paniculae subterminales, magis effusae et laxiflorae quam in *B. arborescenti* et *B. angustifoliâ* floribusque longius pedicellatis, paulo majoribus. — In sylvis montanis Archipelagi indici.

**421. *Buchanania sessifolia* BL.:** ramulis subangulatis ad apices tomentosis; foliis subsessilibus cuneato-oblongis v. lan-

ceolatis acuminatis basi angustatis subcoriaceis subtus ad nervum medium pubescentibus; paniculis subramosis puberulis. — *B. lanceolatae* WIGHT *Icon.* I. tab. 237 accedens, sed foliis subsessilibus ad nervum medium dorso pubescentibus distincta. Arbuscula 15—20 ped., ramulis teretibus, gilvis, glabris, ultimis obsolete angulatis, ad apices fusco-tomentosis. Folia 3—7½ poll., 1—2¼ poll. lata v. minora, ad apicem saepe nervo exserto mucronulata, laurina, nitida, excepto nervo medio subtus pubescente glabra. Paniculae axillares et ad summities ramulorum, 3—6 poll. longae, laxae, patentes, puberulae. Flores parvi, albi, in cymis dispositi. — In sylvis montanis insulae Sumatrae.

**422. *Buchananfa macrophylla* BL.:** ramulis teretibus ad apices tomentosus; foliis cuneato-oblongis apice rotundatis v. retusis basi in petiolum decurrentibus coriaceis supra glabris subtus stellato-puberulis; paniculis elongatis subramosis tomentosus. — Arbor trunco 30—40 ped., magnitudine foliorum excellens. Ramuli crassitie digiti minoris, ad apices cum foliis juvenilibus adhuc conduplicatis tomento denso fulvo vestiti. Folia 8 poll.—1½ ped., 3½—7 poll. lata, venis transversalibus permultis parallelis in nervum marginalem arcuato-confluentibus subtus elevatis nervoque intermedio supra appanato v. nonnihil immerso in paginâ dorsali valide extuberante percursa; petioli 1½—3 poll., crassi, dorso rotundato-gibbi, striolati et tomento furfuraceo obsiti, supra plano-excavati et sericeo-velutini, basi decurrente foliorum anguste marginati. Paniculae subterminales, erectae, spithameae ad pedales usque, cum floribus in specimenibus nostris adhuc inexpansis interrupte glomerulatis tomento fusco furfuraceo obtectae. — In Sumatrâ, Borneo cet.

**423. *Buchananfa auriculata* BL.:** ramulis teretibus ad apices tomentosus; foliis cuneato-oblongis apice rotundatis v. retusis ad petiolorum basin margine decurrente auriculatis coriaceis glabris; paniculis subramosis tomentosus. — Arbor 30 ped., ad summities ramulorum foliis nondum expansis et inflorescentiâ tomento furfuraceo fusco obtectis. Petioli 1¼—1¾ poll., foliorum basi decurrente marginati, marginibus revolutis, ad basin utrinque in auriculam minutam rotundam dilatatis, dorso convexi, supra plano-excavati. Lamina 5—10 poll., 2—3¼ poll. lata, margine subundulata, supra nitida, venis transversalibus utrinque, sed in paginâ dorsali paulo validius prominentibus. — In montanis insularum Sumatrae, Borneo cet.

*Species minus cognitae.*

**424. *Buchananfa?* *zeylanica* BL.:** ramulis angulatis plane glabris; foliis cuneato-oblongis obtusis v. plerumque rotundatis v. retusis coriaceis glabris. — Foliorum formâ cum *B. intermedia* WIGHT *Icon.* I. Tab.  $\frac{8}{5} \frac{1}{2} \frac{5}{5}$  plane congruens, cujus tamen folia nunquam coriacea, quod illam a *B. latifolia* ROXB. distinguit. An potius ad *B. latifoliam* ROXB. referri possent specimina nostra? At foliorum basis in specimenibus nostris zeylanicis (partim ex J. BURMANNI, aliis e VAN ROIJEN Herbario oriundis, ubi stirps ab indigenis *Ettembe* vocatur) nunquam obtusata, sed in petiolum angustata. Petioli 4—10 lin. longi.